



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

5 Perpetui, qui. Vicarius Vrbis, qualis, & cujus officium. Quae portio est  
aßignanda Vicariis perpetuis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Et à lege constituti in sex species dividuntur, quarum prima est Summorum Pontificum, Petri successorum, quibus Evangelica voce Domini claves æternæ vitæ traditæ, & terreni simul, & cœlestis imperii fuerunt jura commissa, *ut cap: quævis, 21, dist. & cap: omnes, 22, dist. & sunt Vicarii Christi, cap: ubi periculum, §. ceterum, & cap: fundamenta, §. decet, de elect. in 6.*

Secundæ species sunt Episcopi, qui Apostolis successerunt, & Apostolorum vices gerunt, *cap: legimus, 93, dist. cap: in novo, 21, dist. cap: quorum vices, 69, dist. & cap: 1, §: per frontis, de sacr. Vnct.* Vicarii enim Dei sunt, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam ipsius Dei, quam acquisivit sanguine suo, *Act. Apo: cap: 20.* Conc Trid. *cap: 1, de reform. sess 6:* & Card Bellarm. *in Apolog. pro respons. ad libr: Reg: Brit: c: 4, sub vers. quod etiam rex.* Succedunt autem Episcopi Apostolis, quatenus illi fuerunt primi Episcopi particularium ecclesiarum, ut Jacobus Hierosolymitanæ ecclesiæ, & Joan. Ephesinæ, non autem propriè succedunt Apostolis, quatenus Apostoli erant, id est, missi in omnem terram cum plenissima potestate, ut docet Card. Bellarm. *in lib: de cler: & lib: 4. de Pont. & distinguendo declarat idem Card. in respons. ad Apolog: pro jur. fideliter, sub rubric: de respons. ad ea, quæ objiciunt. contr: Epistol. §: Responsio Episcopus succedere, pag. 212.*

Tertia species est Presbyterorum, qui eum Apostoli videntes messem multam, operarios autem paucos, rogassent dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam, elegerunt septuaginta duos discipulos, quorum vicem presbyteri gerunt, *dict. cap: in novo, 21, distinct.*

Quartæ species sunt Capitula cathedra-

lium, quæ sede Episcopali vacante, Episcopi vices gerunt, *gloss. in cap: unic. 2, not. de majoris. & obed in 6. & Innoc. in cap: eam te, num. 4 & seq. de rescript.*

Quinta est Archidiaconorum, qui absentibus Episcopis, nullo vicario constituto, absque aliquo facto, ipso jure sunt illorum vicarii, *cap: 1. ubi gloss. & Burr. & cap: ad hac, §. secundum, & §. item epistola, ex. de offic. Archid.*

Sexta autem est Archipresbyterorum Cathedralium, qui etiam dicuntur vicarii nati, quoad spiritualia quædam, ut per Host. *de offic. Archipresb. & plenè per Sbroz d. 93, à num. 2, usque ad num. 19.*

† Vicarii facti hominis constituti sunt spirituales, & secundum jus canonicum creantur, † quorum alii sunt perpetui, & alii ad tempus, *Abb in cap: extirpanda, §. qui verò, num. 9, de preb.*

Primò perpetuus † est Vicarius Urbis, cujus officium de potestate ordinaria non est amovibile, sed solum vacat per obitum, & semper creatur S. R. E. Cardinalis, cujus jurisdictio extra Urbem non extenditur, *cap: sua nobis, de offic. Vic.* Et in Urbe est, tanquam Ordinarius in sua diocesi, habens jurisdictionem in clericos, & Hebræos, *d. cap: sua nobis, ex. de offic. Vic. & Sbroz. d. 93, num. 19.*

Secundò sunt vicarii perpetui deputati monasteriis, & aliis beneficiis, quibus pro curæ animarum regimine sunt vicariæ auctoritate Apostolica perpetuò erectæ, & post erectionem dicti Vicarii auctoritate ordinaria, prævio examine ad formam sacri Concilii Tridentini admittuntur, & sine causa amoveri non possunt, *cap: ad hac, eod. tit. c. 1, de capell. mon. in 6. Abbas in dist: §: qui verò, nu. 8. Rota decis.*

24. n. 1. de *præb. in nov.* & Concilii Trid. c. 7. *re reform. sess. 7.* quibus fructuum portio non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annis singulis, ab Ordinariis locorum est assignanda, nisi auctoritate Apostolica in erectione aliter fuerit assignata, ut statuit Pius V. in *Bull. constitutio 46, qua incipit, Ad exequendum.*

Beneficia autem Vicarias hujusmodi habentes, dicuntur nihilominus curata saltem habitu, *Rota decis. 2, de offic. Vic. in antiquis, & Fastol. dub. 25, num. 2.* Felin. in *cap. p. stulasti, num. 1, de rescriptis.*

6 Temporales sunt, † qui Apostolica auctoritate in temporalibus ad regimen Terrarum status ecclesiastici deputantur, *Ab. in dict. §. qui verò, num. 9.* *Rom. cons. 59, num. 2, in fin. & num. 3.* & Felin. in *d. cap. pastoralis, num. 11, de rescriptis.* & etiam qui ad regimen Cathedralium in spiritualibus, & temporalibus ob malam Episcoporum administrationem mittuntur, qui Vicarii Apostolici nominantur.

Vicarii etiam alii dicuntur, qui ab Episcopis cum congrua fructuum portione Rectoribus parochialium ex legitima causa absentibus, suspensis, impeditis, aut inhabilibus deputantur, *cap. pervenit, de appellat. & cap. cum ex eo, de elect. in 6.* Concil. Trid. c. 2, *sess. 6, cap. 5, sess. 7, & c. 6, ubique de reformat. sess. 21.* qui etiam parochiali ecclesia vacante, donec eidem idoneo rectore fuerit provisum, constituuntur, idem Concil. c. 15, *de reformat. sess. 24.*

Foranei Vicarii nuncupantur, qui ad certam partem diocesis sunt deputati, c. 1, *in princip. & ibi gloss. in verb. foranei, de offic. ord. in 6. & Clement. 2, in fi.* ubi etiam gloss. *de rescriptis:* à quibus appellatur ad Episcopum constituentem, quia non fa-

ciunt unum, & idem consistorium cum Episcopo, ut faciunt Vicarii generales, gloss. *in dict. c. 1, in verb. foranei, de offic. ord. in 6.* non habent cognitionem causarum hæreticæ pravitate, matrimonialium, nec criminalium, quæ Episcoporum examini sunt reservatæ, Conc. Trid. *cap. 20, §. ad hæc, de reform. sess. 24.* minusque litteras monitoriales, pro occultis, depositis, aut subtractis concedere possunt, sed Episcopi solum, c. 3, *de reform. sess. 25,* aut Vicarii generales cum sufficienti facultate, qui in aliis casibus censuras possunt etiam promulgare, *cap. 1, & cap. licet, junct. gloss. de offic. Vic. in 6.* Nec illis committitur executio litterarum Apostolicarum, *Rebuff. in prax. benef. de Vic. Episc. num. 4, par. 1.*

Vicarii etiam generales vocantur à Capitulo sede Episcopali vacante deputati, quia † mortuo Episcopo, capitulum in spirituali, & temporalis jurisdictione succedit, *cap. si Episcopus, cap. final. de supplen. neglig. Pralat. cap. unico, de majorit. & obedient. in 6. & Graff. decis. aur. c. 15, par. 1. lib. 4, num. mihi 77.* & licet de jure communi non teneatur capitulum constituere Vicarium sede vacante, sed per se posset jurisdictionem exercere *Felin. in cap. cum olim, de majorit. & obedient. num. 4.* tamen hodie ex dispositione sacri Concilii Tridentini intra octo dies constituere tenetur, vel constitutum confirmare, aliàs deputatio illius devolvitur ad Metropolitanum, & si sedes Metropolitana vacet, ad Suffraganeum antiquiorem, vel si Episcopatus sit exemptus, ad Ordinarium viciniorem, *cap. 16, de reform. sess. 24.*

8 Regulariter † Vicarius à capitulo sede Episcopali vacante deputatus, eandem

L 3 habet